

Ze
6690



ak. 330.



DE VIRIS
FAMA AC ERVDITONE CLARIS
QVI CELEBRI
STRAVCHIORVM NOMINE

INSIGNITI FVERVNT *Stravchior.*

EPISTOLA

Math. 5. 11. 10.

QVA

*Doch, ver. 10. (War nur
verbunden.) d. 5. 11. 10.*

VIRO

PRAECELLENTISSIMO, AMPLISSIMO,
DOCTISSIMOQVE

IOANNI AEGIDIO
STRAVCHIO

PHILOSOPHIAE AC ARTIVM MAGISTRO
ORDINIS IN ACADEMIA VITEMBERGENSI PHILOSOPHICI
ASSESSORIS DIGNITATEM

SOLLEMNI DISPVATIONE

DIE V. IVLII A. MDCCCLXII. AVSPICATAM

EA, QVA PAR EST, OBSERVANTIA GRATVLTVR,

AVGVSTVS FRIDERICVS SCHOTT

DRESDA - MISNICVS

LEGVM HVMANIORVMQVE LITTERARVM CVLTOR.

L I P S I A E

EX OFFICINA LANGENHEMIA.



2. 1885

000.000

DE VIRIS
TITULI
SACRORUM
EPISCOPORUM
ET
ALIORUM
SACERDOTUM
ET
ALIORUM
SACERDOTUM

Handwritten notes in blue ink, partially illegible.

VITIO
LIBER
LIBER

LIBER
LIBER



LIBER
LIBER

LIBER
LIBER

LIBER
LIBER





aiores habuisse dignitate famaue celeberrimos, non paruo duci honori, cum aliorum clarissimorum virorum memoria nos docet, tum inprimis TVVM, VIR PRAECELLENTISSIME, fatis comprobabat exemplum. Nam ea ortus es gente, quae coetui sacro omni aetate viros dedit probatissimos, reipublicae spectatissimos, orbi litterarum doctissimos. Quis enim rerum in patria gestarum adeo est ignarus, quem lateat, quanta commoda STRAVCHII Theologi nostrae attulerint ecclesiae, quot ex splendida hac familia status Saxoniae civilis exstiterint gubernatores, quot denique haec ipsa, in qua TV docere constituisti, Academia eiusdem nominis Doctores, non vulgaris eruditionis laude excellentes viderit? Nec inter exteros populos STRAVCHIANAE gloriae desunt



defunt praecones. Quare mihi, de argumento epistolae cogitanti, qua meum TVI studiosissimum animum fausta nouae dignitatis auspicia TIBI congratulantem, proderem, nihil dignius visum fuit, quam vt *Viros fama ac eruditione claros, qui celebri STRAVCHIORVM Nomine insigniti fuere*, sisterem, TVOQUE NOMINI AMPLISSIMO hanc qualemcunque dissertatiunculam inscriberem. Meae quidem vires exiguae sane atque leuissimae mihi, vt instituto satisfaciam, vix permittunt, TVA tamen, quae summa erga me est, beneuolentia ac humanitas mihi pollicentur, fore, vt erroribus meis, si qui forte incurrant, indulgeas, meque, vt rem agrediar, inuitant.

STRAVCHIORVM gentem antiquae esse originis, extra omne dubium positum esse arbitror, vbi vero et quando orta sit, ob documentorum penuriam, temporum iniuria deperditorum, decernere haud licet. Constat tamen, nobilissimam hanc familiam medio Seculo XVI in Brabantia floruisse. Hoc enim tempore, duce Albanio, summo a Rege Hispano Belgio praefecto, in illos, qui Pontificiorum sacris addicti non erant, nimis crudeliter saeuiente, *Aegidius STRAVCHIVS*, ^{a)} generis sui in Saxonia auctor, opibus purioris doctrinae amore relictis, postquam variis exilii erroribus agitatus esset, Vitembergam, urbem antiqua fama coruscantem, se contulit, vbi mercaturam exercens a. MDLXXXI. cum *Arnoldi PLATISII*, communis aerarii scribae, filia *Gertrude*, duorum filiorum matre mox commemorandorum, se

a) v. tabula STRAVCHIANAE gentis genealogica, quae manuscripta mihi est ad manus. Progr. fun. in ob. Aeg. STRAVCHII Rect. Gymn. Gtdan. M. Christ. SCHLEGELS Lebens-Beschr. D. Aeg. STRAVCHS, Superint. zu Dresden, p. 4. I. P. v. Schoenthal Leben derer Superint. z. Dresden, p. 45.



se coniunxit, ipse autem mortuus est d. XXIX. Nouembris
a. MDXCVII. Cuius filius nati maior,

Aegidius STRAVCHIVS, ^{b)} vivere cepit Leucoreae
d. XXIII. Iunii a. MDLXXXIII. Hac in vrbe cum tam domi,
quam in senatoria schola litterarum rudimenta posuisset, sti-
pendio Electorali adiutus a. MDCL. ad studia academica se
conferebat, quae tanto ardore prosequabatur, vt vix vno
praeterlapso anno Philosophorum Decanus, *Erasmus SCHMI-*
DIUS, graecae linguae Professor Publicus, eum, qui prae-
siede *M. Christophoro IORDANO* dissertationem *de methodi na-*
tura et speciebus d. XIII. Februarii a. MDCII. defenderat, in-
ter artium Magistros recipere non dubitaret. Iam aliis do-
cendo suam probabat solertiam, et varia, quae infra eum
reliquis eiusdem scriptis nominanda erunt, philosophiae ar-
gumenta publice disputando explicabat. Quid igitur mirum,
quod Amplissimus Philosophorum Vitembergensium Ordo a.
MDCVI. Assessorem sibi eundem cooptrauerit? Hanc digni-
tatem mox grauiora excipiebant ~~manera~~. Cum enim sparta
sacrorum apud Oslitenses Antistitis esset *vacuata*, Elector
Saxoniae Serenissimus, egregius STRAVCHII eruditionis do-
cumentis motus, litteris d. IX. Decembris a. MDCIX. datis
huic eum praesse officio iubebat. Quo vero antequam pro-
ficisceretur, d. XVI. Februarii a. MDCX. Decano D. HVT-
TERO ^{c)} veniam summos in Theologia capeffendi honores

A 3

publica,

b) v. *tab. gen. SCHLEGELIUS* lib. cit. *SCHOENTHALIUS* I c. p. 45-
sq. *Henn. WITTE Diarium biogr.* T. I. et II. ad an. 1657. conf.
Allgem. Hist. Lexicon, T. IV. p. 615. *D. Christ. Gottl. IOECHERI*
allgem. Gelehr. Lexicon, T. IV. p. 870. et, quod primo loco nomi-
nare debebam, *Pauli FREHERI Theatrum Vinorum erudit. claror.*
p. 594.

c) v. *Andr. SENNERTI Athen. Witteberg.* p. 90.



publica, quam duce D. *Wolfgangio* FRANZIO de ecclesia Christi militante habebat, disputatione impetrabat, die deinde Nouembris IX. ab eodem FRANZIO Doctor renuntiat. d) Tum d. XX. Februarii a. MDCX. in viam se dabat et prouinciam sibi demandatam statim Dom. Inuocauit adibat. Sed nondum annus erat peractus, cum d. VII. Decembris a. MDCX. Delitiensis Ecclesiae expeteretur Ephorus. Ab Offitiensibus suis quamuis discedere nollet, iterato tamen Principis mandato paruit et a. MDCXI. sub mensis Februarii finem partes suas Delitii suscepit. Verum nec hic diu uiuebat. Nam Canonici Martisburgenses d. X. Maii a. MDCXIV. praesulem, ipso annuente Electore, Ioanne Georgio I. illum vocabant. Hinc Martisburgum abibat, ubi d. XXIV. Iunii, Ioannis Baptistae memoriae sacro, concionem habuit auspicalem. Mortuo tandem D. *Paulo* LAURENTIO, Superatendente Dresdensi et ad aedem S. Crucis Pastore, Consiliario Ecclesiastico, ac Supremi Synedrii Sacri Assessore, in eius locum succedere tam a Principe Indulgentissimo iubebatur, quam a Patribus istius urbis conscriptis inuitabatur. Dresdam veniebat d. I. Augusti a. MDCXVI. et noua munera Dom. XVI. p. Trinit. auspicabatur, inaugurante eum, sicut Elector per litteras, d. XXVIII. Augusti ad Summum Senatum Ecclesiasticum scriptas, significauerat, d. XIX. Septembris Supremo Aulae Concionatore, D. *Matthia* HOE ab HOENEGG, singulari concione, quae hoc titulo exstat impressa: *Christliche Investitur - Predigt, samt dem gantzen Actu, als der Ehrwürdige und Hochgelahrte Herr D. Aegidius STRAVCH etc. zum Pfarr und Superintendenten - Amte zu Dresden öffentlich eingewiesen worden, d. XIX. Sept. in der Creutz - Kirchen* in

d) v. SENNERTVS I. c. p. 101.



in grosser Versammlung gehalten und auf Begehren in Druck
 verfertiget durch Matth. HOENEGG etc. Leipzig
 1616. 4. Multi quidem ac inter hos Hallensis reipublicae Sena-
 tores, vt sacris eorum praeesset, a. MDCXXIII. cupiebant,
 sed Dresdae permanere, quam ad illos proficisci, maluit.
 Quinquagenarii matrimonii vinculo d. XX. Ianuarii a. MDCVII.
 se coniunxerat cum *Euphrosyna*, *Augustini CRANACHII*,
 Praetoris Vitembergensis, filia, *Lucae CRANACHII*, cele-
 berrimi pictoris, pronepte, nata a. MDXC. e qua liberos
 duodecim, ex his vero nepotes vidit neptesue quinquaginta.
 Patrem illum venerabantur: *Aegidius*, de quo infra dicemus;
Christianus, qui litteris se dederat, sed vix XXIII. annos na-
 ctus praematura morte a. MDCXLVIII. extinguebatur; *Au-
 gustinus*, *Ioannes*, *Samuel*, *Davides*, omnes suis locis lau-
 dandi; *Euphrosyna*, quae nata a. MDCVIII. decessit d. XXIII.
 Augusti a. MDCXVI; *Euphrosyna Elisabetha*, nata a. MDCXVII.
 nupta a. MDCXXXIV. *D. Davidi FABRO*, Electoris Saxonis Ar-
 chiatro, cuius post obitum a. MDCXLII. secundis nuptiis cum
Daniele HENRICO, Theologiae Doctore ac Professore Lip-
 sienti, coniuncta fuit, mortua vero in puerperio d. XIV.
 Septembris a. MDCXLIII; *Maria Magdalena*, nata a. MDCXIV.
 denata a. MDCXIII. *Friderico FYNZELIO*, hereditario in
 Tunzenhausen et Moehlau, Iurisconsulto, atque Serenissimo
 patriae nostrae Principi a prouocationum rerumque ecclesia-
 sticarum Consiliis; *Maria Gertrudis*, nata a. MDCXXIII.
 denata a. MDCCVII. *Constantino ROTHIO*, fabricae moneta-
 riae, quae Dresdae floret, praefecto; *Anna Barbara*, nata
 a. MDCXXVII. denata a. MDCLXXIII. *Conrado Victori
 SCHNEIDERO*, artis salutaris Doctore et in Academia Vitem-
 bergensi Professore Publico; *Sophia*, nata MDCXXX. denata
 MDCLXVI. *Ioanni ALEMANNO*, Iuris Vtriusque Doctore
 et

Ze 6690

8



et Electori nostro Clementissimo a Consiliis metallicis, collocatae. Ad vitae Viri Clarissimi exitum quod attinet, d. XXI. Septembris a. MDCLIII. altera vice apoplexia tactus, reliquum, quod vivebat, tempus in sella lectoque consumebat, dum d. XXII. Ianuarii a. MDCLVII. qui erat aetatis eius LXXIV. sacri autem officii sui XLVII. °) placide obdormiret. Sepultus fuit, cum multis etiam Electoris delegatis funus ducentibus, in coemeterio, quod olim ad aedem Marianam conspiciebatur, in qua laudes eius d. XIV. Februarii D. *Iacobus WELLERVS*, HOENII successor, sacra celebrauit oratione, quam *Gimel BERGIVS*, aulae typographus, eodem anno forma quater complicata typis Dreidae excerpit. Eruditionis suae monimenta haec reliquit scripta: *Physicam specialem XII. disputationibus aphorismis comprehensam*, Vitembergae, 1606; *disputationum logicarum dodecatem ex Organo Aristotelis depromptam*, 1607; *illustrium quaestionum ethicarum centurias duas*, 1607; *quaestionum physicarum enneadem*, 1608; *quaestionum metaphysicarum decadem*, 1608; *duas dissertationes de elementis*, a. 1604. et 1606. habitas; *de generatione et corruptione*, 1605; *de scientiae naturalis constitutione*, 1606; *de ente*, 1606; *de tribus rerum naturalium principiis, materia, forma et privatione*, 1606; *de causis*, 1606; *de potentia actiua*, 1607; *de natura*, 1607; *de vita et morte*, 1607; *de actu*, 1607; *de terrae motu*, 1608; *de ecclesia Christi militante*, 1610; *eine christliche Valet-Predigt aus dem Lobgesang des Vöelckleins Marc. VII.* Er hat alles wohl gemacht, gehalten zu Delitsch am XII. Sonntag n. Trin. Wittenberg, 1615;

e) Nescio, cur WITTIIVS, SCHLEGELIVS, et, qui hunc adverbium sequitur, SCHOENTHALIVS personatus l. c. sibi persuaserint, STRAVCHIVM, qui anno demum MDCX. sacerdos consecratus fuit, LVII. annos sacra administrasse munera.



1615; IV. christliche Predigten von dem hohen Reformations-
Wercke D. Lutheri, am ersten Evangelischen Jubel-Feste
gehalten. Freyberg 1618; gründliche Ableinung der Pabstli-
chen Irrthümer, womit Lic. Joh. SALMVTH Calvinischer Pre-
diger zu Amberg, in seinen Jubel-Predigten die Evangelische
Kirche und Lutherum zur Ungebühr beschmirtzet. Leipzig 1618;
triginta plures denique conciones funebres, tum in nobilium,
tum in doctorum virorum, eorumque vxorum ac liberorum
honores recitatas. Eius fratri,

Ioanni STRAVCHIO,^{f)} hereditario in Gorschleben, vita con-
tingit humana Vittembergae d. XXVI. ^{g)} Iunii a. MDLXXXVIII.
qui, litteris elegantioribus, philosophia, iurisque doctrina satis
imbutus, Pragam petiit, vt, affine duce, qui publica S. R.
Imperii negotia curabat, suam de legibus scientiam auerret.
Post aliquot annorum ibi commorationem in patriam reuersus
vrbem a. MDCXVIII. licentiam summos in iure capeffendi ho-
nores, sequenti vero gradum Doctoris accepit. ^{h)} Eodem fere
tempore facultas quoque, caussas in Curia Electorali agendi,
ipsi data fuit. Anno MDCXXII. d. XXIII. Aprilis ab Ele-
ctore Serenissimo Dresdam vocabatur, vt aulae esset a Con-
siliis. Mortuo autem a. MDCXXIX. D. Bartholomaeo REVS-
NERO, summa prouocationum iudicii Consiliario, Faculta-

tis

f) v. FREHERVS l. c. *Tab. genealog. Aug. BVCHNERI dissert. academ.*
Vol. II. P. I. p. 769. sq. WITTE *Diar. biogr.* T. I. et II. ad a. 1639.
Algem. *Histor. Lexicon*, T. IV. p. 615. b. IOECHERI *Gelehr. Le-*
sic. T. IV. p. 873.

g) Errat igitur, quod pace Manium tanti Viri dixerim, b. IOECHE-
RVS l. c. diem XX. Iunii natalitium eius esse asserens. Nam reliqui,
quos allegaui, scriptores diem habent XXVI.

h) v. SENNERTI l. c. p. 110.

B



tis Iuridicae Ordinario, Consistorii Ecclesiastici Directore,
 et Decretalium Professore Publico Ordinario, a. MDCXXX.
 Vitembergam redire eiusque munera fuscipere iubebatur, ¹⁾
 quibus ita functus est, vt Academiae huius iura ac priuilegia
 summa semper defenderit industria. Bis ^{k)} scepra tenuit
 academica, nimirum a. MDCXXXI. centum nonaginta
 quatuor litterarum studiosis nomina profitentibus, quae
 cum iterum a. MDCXXXIX. gereret, ac quinquaginta octo
 iuuenes recepisset, ^{l)} d. XXIX. Septembris febrri peribat ma-
 ligna. Epitaphium eius, quod exstat in templo academico,
 legitur apud SENNERTVM p. 211. et 212. ac *Godofridum SVE-*
VVM in libro, cui titulus est: *Academia Wittebergenfis*. Vt
 pauca de rebus eiusdem domesticis addam, coniugem duxit
 d. XXIX. Maii a. MDCXXI. *Carbarinam*, patre *Michaele*
BLVHMIO, publico ciuitatis Vitembergenfis aerario praefecto,
 prognatam, ex qua sex filii cum vna filia nati fuerunt: *Ioan-*
nes; *Aegidius*, cuius causa tantae turbae Gedant sunt exorta-
 tae, vt infra cognosces; *Michael*, qui XIX. hebdomadam
 aetate diem obiit supremum; *Michael*, cuius laudes non
 omittam; *Christianus*; *Godofredus*, ^{m)} qui natus d. XI. Au-
 gusti a. MDCXXXIX. popularum malo d. X. Ianuarii a.
 MDCXLIII. decessit: *Margaroeba*, *D. Sigismundi HOF-*
MANNI, Pastoris ac Superattendentis Giffhornensis, uxor.
 Scripsisse fertur: *Exercitationes exotericas de controuersis il-*
lustribus; dissertationes ad Ius Iustinianaeum, disputationes
de

1) Cf. SENNERT I. c. p. 138.

k) Non semel tantum, vti putat FREHERVS I. c.

l) v. SENNERT I. c. p. 77. et 78.

m) v. SVEVI I. c. vbi monumentum huius sepulcrale, in templo paro-
 chiali constitutum, exhibetur.



*de locatione et conductione; de Germanorum Principum iure;
de promotione; de lege regia; de iure protimiseos; de foro com-
petenti; de actionum cessione; collegium iuridicum successionum
ab intestato; librum de legitima.*

Plures quidem viros e nobilissima STRAVCHIORVM stirpe ortos prima hac epistola proponere constitueram, sed vetat chartae angustia. Calamum itaque pono, reliqua gentis TVAE lumina aliae TIBI plaudendi occasione, quae vt mox se mihi praebeat, vnice in votis habeo, describenda referuans.

Restat, vt ea, quorum quasi prodromus haec dissertatiuncula esse debebat, paucis adhuc attingam. TV maiorum TVORVM eruditionis, virtutis et gloriae fama incitatus ad ea tendis, quibus factum est, vt hi clarissimi salutarentur: et cum illi potissimum apud Musas inclaruerint Vitembergenses, TV eandem, vbi docendo alios iuues, eligis Academiam. Ac felicissimo quidem successu. Quicumque enim TE paucis abhinc annis bis vno die grauissima Theologiae naturalis argumenta publice defendentem, audiuit, is dicere satis nequit, quam communi omnium applausu ex arena discesseris.

Pergis, ASSESSORIS PHILOSOPHI honores TIBI conferuntur, collatos die V. Iulii erudito adis certamine. Oculis, absens licet, percipere videor, quam frequens adsit auditorum corona, quantum TVAM doctrinam omnes admirentur, admirantes quantis extollant laudibus. Quo magis, me testem laudis TVAE existere non posse, doleo. Sed, etiamsi haec mihi non contigerit fortuna, tamen, omnibus TIBI adclamantibus, singulari mihi duco officio, de felicissimis dignitatis, qua ornatum TE gaudeo, auspiciis TIBI gratulandi, TIBI inquam, quem non Dresdae solum, sed



sed et in VESTRA Academia scholis, quas FRATRI TVO
 DILECTISSIMO mihi que aperueras, vti vocant, priuatissi-
 mis praeceptorem habuiffe, nunquam me poenitebit. Id
 enim iubet pietas, monet vitae societas, qua, cum Vitem-
 bergae litterarum causa versarer, eram coniuicti, suadet
 ea, qua dignum me semper censuisti et adhuc censes, amicitia.
 Accipe igitur humaniter leuiffimum hoc ingenii mei
 nondum limati specimen, accipe exiguum grati animi moni-
 mentum, accipe fausta pro TVA salute vota. Deus, omnis
 felicitatis parens, sospitem TE seruet atque incolumem, et
 efficiat, vt, patria pacata, honoribus TVIS ampliffimis fru-
 aris tranquillior, moxque grauioribus, de quibus iterum lac-
 tari possim, exorneris muneribus. Vale, VIR PRAECEL-
 LENTISSIME, meque amare perge. Scribebam Lipsiae,
 A. MDCCLXII.




ULB Halle 3
007 417 195



QK Ze 6690





Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

DE VIRIS
RVDITIONE CLARIS
VI CELEBRI
ORVM NOMINE

NITI FVERVNT *Itinordlist.*
PISTOLA

QVA
VIRO
TISSIMO, AMPLISSIMO,
TISSIMOQVE

AEGLIDIO
AVCHIO

AC ARTIVM MAGISTRO
A VITEMBERGENSI PHILOSOPHICI
SORIS DIGNITATEM

NI DISPVATIONE
MDCCLXII. AVSPICATAM

OBSERVANTIA GRATVLATVR,
FRIDERICVS SCHOTT
ESDA - MISNICVS
VMQVE LITTERARVM CVLTOR.

PSIAE
INA LANGENHEMIA



Handwritten note:
Nachdruck d. d. 5. 11. 10.
Buch, welches (War neu
verbunden.) d. 5. 11. 10.